



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

II. De Christi Divinitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

At utramque gratis nobis conferri per merita Christi docemus.

3. Nos docere, Quod omnes Traditiones nostræ sint Apostolicæ. Ita Calvinus, At agnoscimus etiam merè Ecclesiasticas.

II, DE VERBO INCARNATO.

LECTOR. Hoc in Argumento rerum paulo prolixior insisto: idq; in recitandis magis Nouatorum sententiis, quam refellendis; quod suapte sese immanitate iugulent ipsæ. Sunt autem sententiæ nonnulla paucorum dūtaxat Sectariorum singulares de Christo, non communes omnium: Quadam, in quibus nec sui earum auctores sibi constiterunt; sed ab iis abierunt. Veruntamen auctorum Vox emissa volat; & Litera Scripta manet: Suoque perit indicio sorex.

Et imprimū.

DE CHRISTI DIUINITATE.

QVÆSTIO VI.

Qualis est Luthero-caluinistica con-
clamatio aduersus SS,
Trinitatem?

LUTHERVS in Postilla Maore, Basilæ impressâ apud Hecusgium, in Dom. Trinit. Humanitas tantum inueniunt: est vox TRINITAS. Vnde & frigidè omnino sonat. Translyuani Ministri lib. 2. cap. 9. gloriabundè hæc parentis sui autoritate vtuntur. Tali digna patre proles! Patebit clarius infra quæst. 9.

Idem Lutherus exaucorauit è Litaniis istud: S. Trinitas vnus Deus Misereere nobis. Tom. 2. Ienen. fol. 79. a. Vt de Deo sentit, ita & loquitur; Noster Dominus non est stramineus Ibid. fol. 215. b. Non est porcus Ibid. fol. 244. a. Non est Sutor. Ibid. fol. 442. a. Veruntamen Hæreticus est, hoc iam Verum est, quàm Verum est, quod celeberrima Vniuersitas Ingolstadiana est hodie.

Quocirca, ait in Col Momp. f. 369 b. Custodiat nos Deus à magnis istis primæ tabula tentationibus; in quibus sciri nequit; Deusne sit diabolus; an diabolus sit Deus.

us. Expertus loquitur. Ibid. fol. 302. b. Illa enim tentatio, (si quis faciat ex Deo diabolus) Christum comprehendit, eumque in agoniam redegit, & Sanguinem suum dedit.

CALVINVS in epist. ad Polonos: Trinitatis nomen repudiamus. Immo, idem Instit. lib. 1. cap. 1. 3. §. 5. Sepultum in posterum volumus. Egregium ex Theologo Vespilouem!

AUTOR. Impietas se iugulat ipsam; quò mihi paucioribus opus 1. Vox TRINITAS in S. Scripturis expressa de nomine non est: at de Re est. Matt. ult. Baptizate omnes gentes in nom. Pat. & Fil. & Sp. Sancti. 1. Iohan. 5. Tres sunt, qui. &c. 2. Patribus antiquissimis ea vox in vsu est: Vt Dionysio lib. de diuin. Nom. c. 1. Iustino de recta Confess. fidei &c. Vide Bell. l. 2. de Christo cap. 5. 3. Nec Trinitas significat Trium Vnitatem; vt Val. Gentilis errauit: Sed Trinitatem in Vnitate veneramur, ait Symb. Athan.

II. LUTHERVS è Bibliis suis germanicis, Wittenbergæ impressis, eiecit verba illa, 1. Iohan. 5. Tres in celo sunt, qui testimonium perhibent; Pater, Verbum, & Spir. Sanctus.

1. TIGVRINI CALVINISTÆ Magistrum imitati, eandem suis è Bibliis sententiam expunxerunt. 2. Protinus horum secutus auctoritatem, eam fidenter vsus est Blandrata Arianus, cum sociis in disputat. Albana, Et in refutatione libelli Georgii Maioris.

3. Hinc LITHVANIIS Ministris, & eorum atro visum spiritui, in Synodo anni 1589. 11. Maij, habita: Synodi auctoritate; ne hoc nomen Trinitas in concionibus deinceps vsurpetur, in perpetuum porro decernimus & sancimus.

III. Lamberto Danzo Calvinista lib. contra Genebrardum Paris. Theol. Insulsa, inconcinna, periculosa hæc oratio est: Sancta Trinitas miserere nobis.

2. Caluino epist. 2. ad Polonos: Sapit barbariem. Hancque Blasphemiam Beza lib. de

C Vnit.

Vnit. essentia adprobat. Defendit Danæus in respons. ad Genebrardum.

3. Caluino ibid. *Trinitas est Barbarum quiddam; est profanum, & inspidum.*

4. Ochinus lib. 2. Dialogo toto 19. & 20. *Est commētum hominum in aere volitans, nullo nixum sermonis Dei fundamento: Estque Deus Papisticus, Prophetis & Apostolis ignoratus.* Idem fuit Ochinus Bullingeri & Caluini fidus Achates: ait Schlüsselburgius l. 2. fol. 69. Et tota Italia, ait Caluinus lib. de scādalis, non habuit ei parem. Mulus mulum.

5. Denique Caluinus epist. ad Polonos, ait: *Quis sine risu hæc audiat? Vnus Deus, id est, Trinitas. Creditus in Deum, id est, Trinitatem?*

AUTOR. At hæc sunt Ariana. Quid plura? Quin & athea?

IV. LUTHERVS denique tom. 2. Wittenb. fol. 206. *Credo Diabolum esse Deum nostrum; & nos cogi ad exequenda omnia eius placita.* Flac. Illyricus, teste Wigando in sua Admonitione, impressa anno 1574. Ratisbonæ: *Credo demonem esse creatorem essentia ac natura humana. Vbi Wigandus: Vox emissa volat, & las irreuocabile Verbum. Impressa est, haud coruis eam unquam eraserint: Distorqueat ille vocem hanc, glosset, vexet, & voluerit; excidit, erupit.* Carolstadius apud Lutherum Tom. 4. Wittenb. fol. 25 a. *Neque ego crediderim, illum esse Deum siue in caelis, siue in terra.*

CALVINVS Instit. l. 1. c. 8. & 10. lib. 2. cap. 4. lib. 3. c. 3. Et Lutherus in Assert. 36. & tom. 6. Witt. fol. 526. a *Credo, quod Deus sit instinctor peccatorum, imò causa efficiens, impellens, cogens, ac necessitans ad omnem malitiam.* Vide infra par. 4.

AUTOR. Heu nimium quam manifestè sunt Athea ista, ac prorsus indigna ullâ operosiore refutatione! Præclara tamen indicia præbent, quàm vilipendât, post Deum, alteram in Trinitate personam, Dei Filium; quo de proposuimus; qui de ipsa S. S. Triade tam blasphemè loquuntur Theomachi. Vide Possëuinum in *Notis Verbi diuini aduersus Chytraum.* fol. 66. Communis tamen hodie sectariorum sententia Nobiscum S. S. Tri-

nitatem & Vnitatem in Deo amplectitur ac docet. Nunc alterâ de Deo quæstiunculâ propius accedemus instituto.

QVÆSTIO VII.

Ecquid istud Luthero-calvinistis est: Tres Personæ in Vnitare Natura?

LUTHERANI sunt duûm uiri Philippus Melächthon, & Iacobus Schegkianus. Et iidem tamen etiam cum Calvinianis militarunt: quare vtrumque ad se rapiunt commilitonem. Philippum quidem, non magis à se, quam à propriis visceribus auelli posse, profitetur Calvinus: Contrà velis remisque contendit Marbachius, lib. *German. de Verbis Institutionis*: & Lutheranum fuisse sex rationibus omninò apodicticis demonstrat. Idem de Schegkio est litigium. Hunc cum Calvinistâ passim diu quietè possedissent primùm, deinde vidimus tandem Tubingenses, qui repetundarum istos arcesserunt. Equidem hic ambos ad signa Lutheranorum adsigno.

I. SCHEGKIUS igitur apud Genebrardum fol. 42. apud seipsum p. 85. & 487. *Essentia non potest tota de Patre, & Filio & Sp. Sancto sigillatim predicari. Aut tres tantum nuda sunt Proprietates; Aut Energia in Deo: Sicut in saccharo Candor & Sapor; In anima vie nutricans, sentiens, ratiocinans; Aut vnica Essentia diuina tres Partes; qua in Vnam collecta Vnam Perfectam & integram Dei Personam extruunt.*

AUTOR. Hic se Schegkianus putat scalmum reperisse, aut non quod pueri in faba. Istas enim similitudines suas ad S. S. Trinitatis declarandum Mysterium ita existimat aptas, vt dicat, magis eas hominibus aperire oculos, quam mille Patrum dicta, vel alia testimonia. Eiusdem apud Genebr. fol. 45. ipsa hæc sūt totidem verba: *Vt tota anima synonymas & vniuocè de singulis partibus non enunciatur. &c. Simili modo nec Essentia tota diui-*

ma de singulis personis poterit uniuocè, sed de tribus simul comprehensis, pradicari; ut definitio de definito.

II. PHILIPPVS Melanchthon, Phoenix scilicet Germaniæ, (vteum quidem appellat Lauath. in histo. Sacrament. fol. 47.) in Locis suis Theologicis inquit: Facile poterit defendi, quod in Christo, sit ALIQUA Diuina Natura. Et: Necessè est, esse in Christo ALIQUOD Natura diuina substantialiter. Et: Necessè est, Spiritum S. esse Aliquid Dei.

Stancari. lib. 4. de Trinit. è Philippi verbis euidenter ducit istud: Singula personæ plenæ & perfectæ Deus non sunt: in Vnum tamen collecta, Deum perfectum & plenum Vnum efficiunt ac constituunt. Ita apud Cnoglerum in Trinit. in bolo.

AVTOR. I. At fuit hæc Melancthonis opinio hæresis antiqua, eaq; dānatissima: de qua S. Aug. hæresi. 74.

2. Et verò suum errorem ex his Philippicis tuetur Valentinus re & nomine Gentilis, apud Calvinum in *Explic. perfidia Gentilis* pag. 912. Vbi & Geneuenses ita sentire ait: & maximè D. Raymundum in diuinis suis concionibus.

3. Lutherus certè Philippi sui Locos Theol. ad instar Enchiridij secum in sinu circumferre solebat; vt testantur Theologi Ducis Saxon. in *Colloq. Altenburg.* Idem eos non immortalitate solùm, sed canone quoq; Ecclesiastico dignos censebat. Certè de ijs ita cecinit Stigelius lib. 3. Poëmatum:

Explicit inuicti, quod sic Oracula Christi,

Nullum hoc in terris sanctius extat opus.

III. LUTHERVS Comment. in Genes. illud: Dixit Deus, fiat Lux: ita ait: Hic primum ponit Moyses Mediū & Instrumentum, quo Deus pater est vsus in operando, nempe Verbum. Atque ita Lutherus Dei Filius est tantum Instrumentum Patris.

AVTOR. I. At verò hæc ipsissima Arii verba sunt in *libr. Thalia*, teste S. Athanasio in epist. 2. contra Arianos. Cum vellet nos condere Deum, Vnum Aliquē fecit, quem Verbum, & Filium, & Sapientiam nominauit; vt per eius operam nos archi-

sectaremur. 2. Vius hoc Lutheri testimonio est, ad euertendam Christi Diuinitatem, Blandrata in *Act. septima diei, in disputatione Albana.*

LUTHERVS iterum, Si quæras; Quid est Dei Filius? Respondet: *Est Virtus.* 1. Nam ecce, cum ex illo Esa. 9. v. 6. Vocabitur nomen eius, Christi, Admirabilis, Consiliarius, DEVS forte: exauorasset vocè DEVS, contra, & Hebræi textus, & Græci, & Chaldaicæ Paraphras. veritatem, eius i. locum supposuit vocem germanicam *Brastid* est, *Virtus.* 2. Atque vt constaret, nō ignorantia peccasse, sed nequitia; ipse fatetur apertè, tomo 4. vvittenbergensi anni 1552 pag. 171. nomen E L, quod in hebraico est, nusquam inueniri in singulari, nisi de vero Deo. 3. Quamquam neque hic stetit eius impietas; Nam alibi, vt Christo tacitus latro planè iuraretur gloriam; nomen E L Deo eripit, cumque creaturis communicat. Hæc verbatim scitissimus *Quirinus Cnoglerus* in *Trisymbolo.*

Quærent Lutherana blasphemiarum monstra: Caluinitiana num esse immaniora; poterunt? Et verò sunt etiam plura ac densiora.

IV. CALVINVS vocabuli *Persona* impatiens est ac insolens, vt ei Pater, Filius, & Spiritus Sanctus PERSONÆ temerè, & sine necessitate dicantur. Verba sunt ipsius Inst. lib. 1. c. 13. §. 5. *Utinam quidem sepulta essent hæc nomina, Trinitas, Persona, &c.* Item wolffg. Musculus in Anticochlo ait: *Vocabulum hoc, PERSONA, non ita necessarium, vt sine illo nequeas esse Christianus.*

Rectè exclamat Cnoglerus:

Quid mures facient, cum talia Musculus audet?

Caluinus Harmon. in Ioan. 1. v. 1. Item lib. contra Gentilem: Et in actis Seruici sæpè; & Inst. 1. c. 13. §. 5. optat, vt constet inter omnes, *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctū tantum Proprietate quadam distinctos esse. Subaudi, Et non in Personis.*

AVTOR. I. Erras Caluine, tuum si credi velis commentum istud doctrinæ; archihæresios in hoc palmam tibi præripuit Arius, teste S. August. hæresi 14. istius Symmista es discipulus: Minerual Ario debes, damnatus in ipso. 2. De-

C 2 inde

inde iniuriarum te conueniet apud Orci Rhadamantum Valentinus Gentilis; quem tu talium nomine blasphemiarū, vt hæreticum proclamas, exagitas, pro- scribis: *In Explic. perfidia Gentil.* Et tu qui cum ipso pariter erras, cum conde- mnas? Est tamen hoc aliquid; solati- um miseris habere socium in poenis Lu- therum, & affeclas vtriusque. De his & sequentibus vide meum *Antichristum Calu. quest. 3. Et Genealogiam.*

QVÆSTIO VII.

Ministri Transyluani & Hungarici de Deo & Christo quæ doceant?

MICHAEL SERVETVS, nouo- rum Samosatensium autor, ait *Bell. l. 1. de Christoc. 1.* teste *Surio.* Anno au- tem 1555. Geneuz combustus est. Secu- ti sunt eum, qui nunc precipuè in Tran- syluania sedem habent: quorum prin- cipes Georgius Blandrata, & Franc. Da- uid: Qui anno 1580. cum Christum ne- garet esse inuocandum, aut Ecclesiæ cu- ram habere; à Principe Transyluaniæ ad perpetuos carceres fuerat damnatus: sed Paulò post phrenesi correptus, ex- ato biduo extinguebatur.

1. **SERVETIANI** itaque tria docent. 1. *Nullam esse in Deo Personalem Distinctionē.* Sic ex Serueto suo Transyluani lib. 2. cap. 4. 2. *Christum, ante Incarnationem, Nihil fuisse; nisi in mente Dei per Ideam:* Ita Mini- stri Hungarici lib. 2. c. 3. ex Serueto. 3. *Ho- mini communicatam à Deo. Diuinitatem esse; non per Generationem aternam; sed per Uncti- onem gratia, & Inhabitationem:* Proindeque posse dici Christum **DEVM;** sed **DEVM** **Fa- ctum, & Temporalem;** Non **Aeternum.** Ita Blandr. Disput. Alban. & Transyluani lib. 2. cap. 7. Et in his conueniunt Samosateni hi aequi.

AUTOR. At verò quàm natiuè ex fonte dogmatico Lutheri & Caluini prorumpant torrentes isti; nemo non videt, planeque perspicit *ex predictis qq. 6. 7.* Ergo Transyluani & Hungari sunt Lutherocaluiniani.

II. **DISSIDENT** tamen iidem inter sese de Inuocatione Christi, tres in sectas scissi. 1. *Dauid, & Hungari multi docent: Christum non esse inuocandum; sed Patrem solum: Quippe qui solus Verus Deus est, curamque gerit Ecclesia.*

2. *Faustus Socinus in confutatione The- sum illius asserit: Christum inuocari posse: Ma- ioris tamen esse perfectionis, ad Deum Patrem rectè accedere.*

3. *Blandrata in Theob. & Ministri Poloni in iudicio de Dauide: Christum inuocari de- bere; nec imperfectionem esse, confugere ad Christum.*

AUTOR. Aduertit ibidem Illustris- simè doctus Bellarm. peropportunè hanc eorum accidisse dissensionem; 1. *Non solum, quia ait S. Hilarius. Bellum hereticorum, pax est Ecclesiæ: sed etiam quia pars vtraque miras in angustias redigi cœpit.* 2. *Nam, qui Christum in- uocandum esse docent; proferunt su- pra 50. testimonia Scripturæ, quibus re- pugnare aduersarios ostendunt.* 3. *Qui verò Non inuocandum asserunt; cer- tissima ratione demonstrant, aduersarios secum ipsos pugnare. Quippe, qui Nolunt inuocari Sanctos, quia non sunt Dij veri; & tamen Christum inuocari volunt, quem negant esse Deum verū; sed creaturam. Ista de nouis Samosate- nis, siue Seruetianis: porrò de nouis A- rianis, siue Valentinianis.*

III. **VALENTINVS GENTILIS** Italus, Geneuz exusti nuper Serueti exemplo me- tuens, suum reuocat Arianismum; publicam tamen

tamen effugere nequit pœnitentiam, in solo circum ductus indusio, cum cereo, sub voce præconis: dato insuper iuramento de non deferenda vrbe. At tertium periurus, denique morte laic, autore Caluino.

Illius autem innouati Arianismi tres erant. 1. Tres esse spiritus æternos, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, Essentiali Numera differentes. 2. Has Personas non esse æquales; sed Patrem ceteris eminentiorem; sic ut Pater Essentiator; alij duo Essentiati debeant dici. 3. Filium esse non ex nihilo, neque ex tempore genitum; sed ab æterno, & ex Patris Substantia.

AUTOR. Hæc de Essentia & Distinctione Personarum vniuersè: nunc singularitè de Distinctione.

IV. VALENTINIANI, etsi cum Ario agnoscunt tria distincta, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; re ipsa tamen in Deo vero intrinsecam distinctionem, ita vt eadem Essentia sit in tribus, non agnoscunt. Ideo nolunt dici Patrem Personam primam: Imò Personam, aiunt, primam esse sophisticam & diabolicam. Vnde ridet hæc nomina, *Essentia, Persona, Relatio, Proprietas.*

TRANSYLVANI agnoscunt Patrem à Christo distinctum; vt quem purum hominem faciunt. Ante Incarnationem tamen nullam agnoscunt Distinctionem in Deo; sed dicunt; Verbum & Spiritum Sanctum, quæ in Veteri Testamento leguntur, esse Potentias, seu Virtutes Patris, Non Distinctas ab eo Persona, Relatione, aut Proprietate: quæ Nomina ridet & ipsi toto lib. 2.

Hæc relatio Atheismorum: Porrò Collatio dictorum fiat; & demonstratio, Lutherocaluinianos esse & Seruatianos partim; partim & Valentinianos, id est Samosatenos novos & Arianos, liquebit.

QVÆSTIO IX.

Luthero-caluiniani an sint Seruatiani, an verò Valentiniani?

LUTHERO-CALVINIANA huc prius in Synopsis redigam prædicta:

dein alia subijciam: ad quæstionem denique respondebo.

1. LUTHERI vox est; Dei Filius est Virtus Patris: non DEVS. 2. Verbum est Instrumentum Patris in creando & operando. 3. Christus est EL, sicut & creatura. Nam EL in singulari dicitur in Scripturis tantum de DEO VERO. Sic & Lutherani; Vt Melancton: In Christo Aliquid Natura diuina est. Vt Stancarus ex eodem, & Schegkius: Singula Persona plene & perfectus Deus non sunt; in vnum tamen collecta Deum perfectum efficiunt. Vt Schegkius. Sunt nuda Proprietates. Diuina Essentia non potest tota de Singulis predicari. Sunt Energia tantum & tres Partes &c.

CALVINI vox est: *Vtinam sepulta essent hæc Nomina, Trinitas, Persona, &c.* Item Pater, Filius, & Sp. Sanctus tantum Proprietate quadam sunt distincti. Musculus. Sine vocabulo, Personæ, potes esse Christianus.

AUTOR. Atqui ista sunt Seruetiana partim & Valentiniana: Patet confertenti: Ergo tales sunt & ipsi Lutherocaluiniani. Porrò liquebit idem euentius è subiectis eorundem ac Symmystarum ipsissimis totidem Verbis, & Censuris.

H. ERASMVS, LUTHERICALAMUS, dextera, & anima, in c. 5. Ephes. statuit hoc sibi axioma: In Scripturis Pater intelligitur, quoties absolute DEVS appellatur. Hanc regulam gnauiter sequuntur Transylvani. Idem istud Philip. 2. Qui cum in forma Dei esset, sic exponit, id est: cum opera exteriora faceret, in quibus fulgebat Diuinitas. Probat. Quia sicut formam serui suscepit specie exteriora, non substantialiter: ita & formam Dei in exteriori operatione miraculosa. Hæc summa Erasmi est, Vide Bell. l. 1. de Christo c. 7.

I. AUTOR. Ergo Erasmo Dei filius non est absolute DEVS, aut Verus DEVS. Vide nostrum *Antichristum Calu: quæst. 3.*

PERKINSVS Anglus Theol. Calu in Explicat. Symboli. ait: *Iuxta vsitatam & vulgarem regulam; Si comparatur DEVS cum Filio & Spiritu Sancto, tum per vocem DEVS solus Pater intelligitur.* Restringit hic articulus, quod vniuersè dixit Erasmus,

MELANCTHON in epist. ad Elec. Brandenburgicum, & in Locis, editis Basil. pag. 42. *Christus ante Incarnationem Regni sibi à Deo Patre dari peti: Ergo non ab æterno id cum Patre habuit commune; vti in isto*

minor Patre. Ibid. Secundum diuinitatem restitui sibi gloriam postulat. Ergo misceat, vt minor. Idem in Locis Commun. anni 1543. pag. 24. Item Beza in epist. 28. Christus secundum diuinitatem obdit Patri; ira eius cedit. Idem Melan-h epist. ad Brandeb. & lib. contr. Stancarum: Christus patri Sacrificat, Supplicat, apud eum intercedit.

II. AVTOR. At istæ propositiones olim & Arianorum erant, teste S. Cyrillo lib. II. in Ioan. c. 17. & 18. Sunt autem & Valentinianorum; patet supra.

1. CALVINVS in literis ad Polonos nihil abit ab iisdem. Tigurini epist. ad Polonos anni 1560. & 1561. in omnibus illi suffragantur. Item Fulco in confutatione criminatonum Papisficarum, pag. 64. & 65. Item Tuellus contra Hardingum art. 14. & 17. ait: *Dua in Christo natura fuerunt, Deitas, atque Humanitas. Christus Humanam naturam immolatus fuit; Diuinam Sacrificus extitit.*

2. CALVINVS epist. ad Polonos. *Quanquam ab antiquis sententia Christi: Pater Maior est me: restricta fuit ad Humanam eius naturam: EGO tamen non dubito ad Totum Complexum extendere.*

3. CALVINVS è cathedra Pinozouiana de finiuit: *Filius, etiam in Diuina natura, Officij ratione, Patre minor est.* Stanislaus Sarnieus, cum idem in publica disputatione largitus Arianis fuisset, eò nomine est à Caluino, in epist. ad Polonos, mirificè commendatus: Et à Beza in epist. Theolog. 14. audire meruit, Frater plurimum obseruandus.

4. CALVINVS Instit. I. 2. c. 14. §. 3. illud Pauli: *Tunc & ipse Filius Subiectus erit ei: exponit quo ad Diuinitatem ratione officij.* Accedit in hoc illi pedarius Senator Melächthō: qui in libro contra Stancarum, & Epist. ad Brandeb. appellat sæpius *Christum Patri Subditum, secundum Diuinam quoque naturam; eiusque Ministrum.*

5. CALVINVS in Harm. Matth. cap. 22. v. 44. & in Matth. c. 26. v. 64. ait, *Christus est Patris Vicarius: In Ioan. c. 17. v. 12. eiusque Minister. In Ioan. 1. v. 18. & ei ab intimis secretis.*

6. CALVINVS epist. ad Polon. *Verbum, & secunda illa in Diuinis Persona, iam inde ab initio, ante lapsum Adæ, Mediator fuit. Qui & esse certe non potest, quin dispensationis ordine, super Mediatoris Personam Pater emineat.*

7. Theod. Beza epist. 28. *Christus Mediator est inter Patrem & nos, distinctè secundum Humanam naturam; & distinctè secundum Diuinam: imò præcipue secundum Diuinam.* Hæsit hoc Beza, mali corui malum ouum, ab Magistro suo Caluino in admonitione ad Polonos, sic tonante: *Impius est, imò diabolus, quisquis Negat, Christum secundum Diuinitatem esse Mediatorem.*

8. TIEVRINI epist. ad Polonos anni 1560. hortantur, vt hoc docere constanter pergant: *& si fecerint, ipsis à Domino benedictionem (scil. orci:) hantolantur.* Rursus iisdem in suo ad Polonos responso inquit: *Tres sunt Personales in Uno Deo operationes.*

9. CALVINVS lib. contra Gentilem in refut. Prothesios 10. Et Instit. lib. 1. c. 13. §. 23. *Pater Solus in Scripturis Deus vocatur καὶ ὁ ὑπεροχὴν, per excellentiam.* Sic & Zanchius de tribus Elohim par. altera. lib. 5. c. 8.

10. CALVINVS Harm. in Matth. cap. 26. v. 64. Et in Confess. Geneuen. anni 1563. seclarius explicans ait: *Pater primum. Filius secundum, Spir. Sanctus tertium à Patre obrinet imperij & honoris locum.* Idem Harm. in Ioan. cap. 6. v. 57. & in Marci. c. 17. v. 16. *Passer, ait, prima vita causa est, & primus Gradus; Filius secunda, Spiritus S. tertia.*

11. BYLLINGERVS, corculum Caluini, in respon. ad lib. Cochläi, de Scripturæ Canonice, & Ecclesiæ Catholicæ autoritate, cap. 7. *Non Statu, sed Gradu tres in Diuinitate Persona differunt.* Nunciatorum met Caluinistarum super istis Censuras audiamus.

III. AVTOR. 1. Num cuiquam adhuc superesse dubium poterit; quin vnanimis Caluinistarum cum Lutheranis

nis sit consensus quoad Diuinitatē Christi, cenferi eam minorem patris Diuinitate? Quoad DEVM, dici solum Patrem; non Filium? Quoad Distinctionem Deitarum trium gradualium? Quoad Proprietates accidentales, non essentielles in Personis? Quoad ipsa vocabula? 2. Cui obscurum; quin eorundem vnus sit idemque sensus ac consensus cum Seruetianis, & Valentinianis? Non obstante, quod Calvinus vtrorumque autorem ferro, flammis, styloque sit vsque ad neces, ad orcum persecutus.

3. Quod si quæ tamen vlla cuiquam fibra dubitationis inhæserit; ecce tibi adimunt illam spiritus, ac elidunt ipsi Calvinistæ. Nam ita.

1. Iofias Simlerus lib. de aeterno Dei Filio, disertè testatur ita Valentinum Gentilem docuisse. Liqueat *suprà* quest. 8.

2. Liqueat idem apud Calvinum ipsum ex Confessione ipsiusmet Gentilis *Prothesi* 21. §. 3. Roserius. (teste Lanoyo, Roserij quondam Comministro, in *Reip. Christianæ* lib. 2. c. 4.) deprehendit hunc scædum atheismum in fratribus suis; & arguit, cum adhuc in herba esset, (verba sunt Quirini Cnogleri, viri optimi) cumque vixdum in cunis positum Caluini vagiret Euangelium.

4. Fr. Stancarū, etsi insigniter Zvinglianum, & Caluini obseruantem; in multis Lutheri admiratorem; exclamare tamen coëgerunt istæ Caluini Propositiones in hæc verba: *Quis diabolus, ô Caluine, te seduxit, contra Filium Dei cum Ario obloqui? Simulasserere: Serueti combusti Spiritus, secundum Polonicos, in Caluinum remigravit.*

5. Idem Stancarus lib. de Trinit. in-

quit: *Omnes Ecclesiæ, quæ Fidem Geneuesem & Tigurinam tenent de Christo, sunt Ariana: & hoc negari non potest.* Nos domesticis testibus freti, nolimus contemnere testimonium. Præsertim, cum Arianos ista pleraque omnia docuisse, ex D. Augustini operum tom. 6. in *Sermone de Arianis*, doceamur. De istis vide in mea *Genealogia* quest. 3. 4. 5. Nec pluribus refellere attinet.

Q V Æ S T I O X.

*Nomina Veri Dei an sint & Christi, per
Luthero-caluinistas?*

HÆc cum pluscula sint, ibimus per singula strictim: quæ sunt, *Deus, Tetragrammaton, Altissimus, Inuisibilis, Deus gloria, Rex Regum.*

I. Christus an D E V S?

1. LUTHERVS *Isa. 9.* vbi Christus dicitur, *Deus fortis*, posuit *Virtus fortis*; & vt nomen, *EL, Deus*, Christo eriperet fingit id etiam creaturis commune esse; vt, tamen hic de Christo dieatur; non tamen vt de Deo vero, sed vt de creatura dici persuaderet. Idcirco etiam *1. Iob 5.* trium Personarum diuinarum nomina exautorauit. Sicui & d. Licanijs suis illud, *S. Trinitas vnus Deus*, eiecit. Vide *suprà* quest. 6. Idem in *Postilla* fo. 41. a. 10. 2. *Christus non est vacca, neque ex strygius vnus.* & fol. 304. a. *Christus non est stultus: & sua tamen negotia stultè instituit. Tantis verd inter omnes peccatores peccator est, vt eo maiorem nullum unquam tulerit hic orbis terrarum.* Hæc verd insignis reuereantia Christi est.

2. ERASMO, in c. 5. *Non Christus in Scripturis; sed Pater intelligitur, quoties absolute DEVS appellatur.* scil. vt hoc nomen Christo abstraheret.

3. MELANCHTHONI in *Locis, Christus est Aliquid diuina natura.*

4. Schegkio Christus est *Energia Patris: Luthero, Instrumentum Creatoris.*

5. Calvinum istis infandiora blasphemare patet *suprà* quest. 9.

AVTOR. Contrarium constat ex *S. Irenæo* lib. 3. c. 6. *Neque Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli, addit c. 8. neque Prophetæ, qui non esset Deus, definitiue & ab.*

& absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus. Atque Scriptura vocem, **DEVS** absolute ponit pro Christo. Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.* Act. 20. *Spiritus Sanctus posuit vos regere Ecclesiam Dei; Cuius? Illius, qui eam acquisiuit Sanguine suo.* Rom. 9. *Qui est super omnia DEVS.* Christus dicitur Apoc. 4. *Dominus Deus Omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Ergo.

II. **JEHOVA**, nomen ineffabile seu Tetragammaton, maxime soli Vero Deo conuenire etiam ipsi Transyluani lib. 2. c. 7. sentiunt: Cætera verò, Elohim, Sadai, Adonai, &c. etiam Christo & Angelis.

Atque id etiam tribuitur Christo. Ier. 23. *Suscitabo David Germen Iustum, &c. Et hoc est Nomen quod vocabunt eum: DOMINVS Iustus noster.* Nam I. Cor. 1. *Factus est nobis sapientia, & iustitia, & redemptio.* IIa. 53. *In scientia sua iustificabit ipse Iustus Seruum meum multos.*

1. **LVTHERO** autem in Rom. 3. ad marginem, *Deus est iniustus:* Et in Assert. art. 36. to. 2. *auror est peccatorum: Nam & mala opera in impiis regit Deus.* Sed de his infra.

2. **CALVINO** Infit. l. 1. c. 8. S. 1. *Scelerum autor Deus est: Christus in Passione peccauit, desperauit; & Caluino esset Deus Iustus noster? Caluino esset Christus DOMINVS; quem pertendit esse Patri Subiectum ministrum, etiam secundum Diuinitatem? Patet supra.*

AT ipse de se **IESVS**, Matt. 21. *Dicite, quia DOMINVS his opus habet: Non Pater in coelis; Sed Christus in terris ait, Ioann. 13. Vocatis me Magister & Dominus: & bene dicitis, Sum etenim.*

III. **ALTISSIMVS** vox propria soli vero Deo est.

1. Melanchthoni apud Stancarum l. 4.

Trin. Christus est Deus imperfectus. 2. Caluino, est in secundo gradu Deus. Patet supra: Quare ijs est Deus Medialter, aut Dealter, aut Deiculus.

AT contra, Psal. 86. *Homo natus est in ea, & Ipse fundauit eam Altissimus, id est, Christus ait, S. Hieron. Aug. &c. Hinc Phil. 2. Dedit ei Nomen, quod est super omne nomen. Rom. 9. Ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus.*

IV. **MAGNVS DEVS**, vox solius Veri Dei est.

Erasmum secuti Transyluani eam volunt de solo Patre intelligi.

AT de Christo dicitur, Tit. 2. *Expectantes beatam spem, & aduentum gloria Magni Dei, & Saluatoris nostri IESV CHRISTI. Qui est Dominus Dominantium.*

QVÆSTIO XI.

An Luthero-caluinista sint Trisheita?

LVTHERVS lib. contra Iac. Latomum to. 2. Wit-tenb. edition, anno 1551. *Anima mea odit ὁμοούσιον Et optime exegerunt Ariani, no vocem illam profanam & usnam regulis Fidei status liceret.*

AUTOR. Maluit fortasse bonus ille Arianorum Helias ὁμοούσιον, quam ὁμοόσιον, Arianis ita placuit; & execrati sunt illud sic, vt orthodoxos etiam Homouianos appellarent. Oderant quippe in Deo Vnitatem naturæ, & Æqualitatem Personarum.

2. Sed **LVTHERVS** clarè, apud ZWinglium in respon. ad Lutherum, lib. de Sacram. *Triplex est Diuinitas & trium generum; sicut sunt tres Persona. Ex quo rectè infert contra eum Zwinglius Tres enim in Diuinitate Natura stature, & Tres Deos.*

3. **LOSSIVS**, Doctor Lunenburgensis, in suis Commentarijs ad Aleuni libros de Trin. *Tres inquit, Persona Diuinitatis essentialiter inter se discreta sunt. Earum qualibet habet suas Proprietates, quibus ab aliis substantialiter distinguitur.*

4. Melanchthon in Locis anni 1545, c. de Christo, *Tres sunt Diuinitates, vs tres persona.*

Scheg-

3. Schegkij pag. 108. Non est in trinitate Essentia simpliciter Vna numero: sed Vna est, & dicitur Essentia, quia tribus numero differentiis τῆς πρῆξις αὐτῆς constituitur.

Heu! clara nimis liquet blasphemia Lutherana: Calviniana tetrrior.

II. CALVINVS in actis Seruetic, pag. 872. & passim. Filius habet substantiam à Patre distinctam. 2. Beza in Confes. Geneu. c. 1. §. 2. Clarè Verbum Dei docet, quod Essentia diuina realiter, & ab aeterno tribus Personis distincta sit. Epidaurius ille & Lynceus, scilicet, vidit in Scripturis, quod nemo vidit vnquam, nec vsquam apparet. 3. Schegkij apud Genebrardum pag. 98. Non facile in tota Scriptura locum reperire erit, qui nature inter Patrem, & Filium & Sp. Sanctum ita adstruat Vnitatem, ut non facile aliò torqueri possit.

AUTOR. At verò Fallum istud de Scriptura in se incorrupta: Nimis verum de editione Calviniana. Quis enim locus est, ait Quir. Cnogleris in Trisymb. pro Christi Diuinitate, quem non atrà Arianæ glossæ caligine Calvinus obfuscârît? Quem non quasi piceo obiecto fumo suorum commentorum obnubilarit? Recurre à capite ad calcem per Biblia; vniuersa testimonia (ait VVittenbergensis Pradicans) per aleatoriam quiduis illudendi versutiam, manib⁹ nobis excussa comperies; ad Arianam hæresim plenis cataractis & imbribus in orbem terrarum effundendam, & regurgitandam. Negas? Blandrata, & Franci Dauidis aduersus Geor. Maiorè, Calvinii expositiones adferunt, non sine gratitudinis significatione. Nos è locis plurimis in exemplum pauca adducamus.

III. CALVINVS in Gene. 1. Ex verba Elohim colligere tres Personæ, violenta glossa est. 2. Idem in Psal. 2. Qui hunc locum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, de aeterna

Christi generatione exposuerunt, (sicut Paulus ad Heb. 1.) nimis argute in verbo Hodie philosophati sunt. 3. Idem Inst. l. 1. c. 3. §. 15. Ex illo Psal. 33. Verbo Domini cæli firmati sunt &c. infirma ducitur ratio pro adstruenda Spiritus Sancti Diuinitate. 4. Idem in Ioan. c. 10. Abusi sunt veteres hoc loco: Ego & Pater Vnum sumus, ut probarent Christum Patri esse ὁμοῦστος. Abripuit eos huc contentio cū Arianis.

AUTOR. Sed non contaminent mihi chartam amplius hæc blasphemiæ. Lege Stancarum contra Calvinii epistolas à fol. 97. ad fol. 122. ab I. 2. ad O. 3. Lege Hunnij Calvinum Iudaizantem.

4. Schegkij apud Cenebr. pag. 108. Nulla foret inter Patrem & Filium differentia, si Vna esset vtriusque Essentia. Supra vidimus eum ad diffici i & inuitato vocabulo græco τῆς πρῆξις αὐτῆς inuolueret. Certè nihil magnificum diuinis personis tribuit: Ponit enim contra omnem veritatē τῆς πρῆξις αὐτῆς Vnitatem (circumcessionis vocant Theologi) distinctam ab Vnitate Substantiæ.

AUTOR. I. Athæctalis Vnitas an non in creaturis etiam cernitur? 2. An non lumen solis, per aërem diffusum, hac Schegkij vnitate cum ipso aëre Vnū est? 3. Nonne ita Angeli sibi, iuxta Theologos, inesse possunt? 4. Nonne ita cum sepulcri saxo, & ianua clausa, Christi humanitas sese penetrauit? Apage græcule cum insolente vucula græca, rem claram obnubendo; ut mysteria crepare videaris admirandus cuculus. Manet igitur, dictos Luthero. caluinistas facere seiplos, esseque Tritheitas. Neque solum hoc; sed Bitheitas quoque, ut subiecta quaestio infanabit.

D QVÆ

QVÆSTIO XII.

An circa Personarum in Diuinis AEQUALITATEM Gentilizent Calvinistæ?

LVTHERO-CALVINISTARVM doctrina communis hodie nobiscū in hoc consentit, quòd plerique docent Vnitatem in Trinitate; præter Transylvanos.

CALVINVS autem, quem Valentini re & nomine Gentilem, natione Hispanum, stylo primum confodit; deinde & gladio Magistratus Gencuensis, vel in carcere nexum, canereque palinodiam paratum, est ad necem vlque, & ad oreum persecutus: eiusdem tamen Arianos demum non abhorruit; sed amauit, ac propugnauit infelix istos:

I. GENTILIS talia Prothesi septima: Solus Pater est Vnus Deus. Octaua Solus Pater est αὐτὸς θεός, id est, à nullo superiora essentiat; sed à se ipso Deus. Non à Qui Vnum Deum in Proprietates, & Personas distinguit, vel sibi Præstigia facit, vel necessariò Vnius Dei Substantiam diuidit, atque discerpit. Vndecima. Genitus à Genitore numero differt; non Potestate, scientia, aut natura diuersitate. Duodecima. Vnus Deus, & λόγος eius, dua sunt eiusdem natura substantia intelligentes, id est, duo æterni Spiritus consubstantiales, congruo gradu, ordine, & proprietate distincti. &c.

2. Georgius Niget apud Stancarum libro contra Pinzouanos ait: Ego cū Sarnio & alijs; nolimus credere, quod Filius Dei sit Patri equalis, sed Minorem Patre asserimus. Quà causâ Symbolum Athanasii, vocant Sathanasii.

3. CALVINVS, inquam, similia sensit & docuit: præsertim Filium Dei Patre minore Deum esse. Sic & LVTHERVVS cum Synonymis Vide fusè recitatos ipsos supra quæst. 9. Refutatos quoque obiter in mea Genealog. quæst. 5. & in Antichristo q. 5. Ergo isti Gentilizant; imò reipsa sunt Gentilizæ, id est, germani Ariani, & Machumetani, ac pene Judæi: teste Hunnio in suo Caluino Iudaizante.

AVTOR. Sic contrà. I. Quem ve-

teris Testamenti complura loca vocant vnum verum Deum Israël; eadem ipsa Nouum Testamentū exponit de Christo: Ergo Christus est idem vnus verus Deus Israël. At in illo DEO Veteris Instrumenti nihil Inæquale vsquam significatur aut reuelatur: Ergo Christus, quæ Deus, Æqualis est Patri, vt & Consubstantialis.

Antecedens testatum reddamus. 1. Exod. 20. Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti. Id est, ait Iudas in Canon. IESVS, populum de Ægypto saluans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit.

2. Psal. 67. Dominus in eis in Sinai in sanctis. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Id est, Ephel. 4. Vnicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dixit: Ascendens in altum. &c.

3. Ita 6. Vidi Dominum sedentem &c. qualis isthic describitur Maiestas Dei; talis & in Nov. Test. delineatur. Iohan. 12. & Apoc. 4. 4. Isa. 45. Ego Deus, & non est alius: In meo ipso iuravi: quia mihi curuabitur omne genu. Ita Rom. 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim, Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.

4. Isa. 35. Deus ipse veniet, & saluabit nos: Tunc aperiensur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt, & saliet sicut ceruus claudus. &c. Id de seipso Christus exposnit Matt. 11. Nunciate Ioanni, &c. cæci vident, surdi audiunt, claudi, &c.

III. SIBYLLÆ præcinuere IESVM Christum Vnum verum Deum, Patri æqualem, in carne venturum. At Clemens, lib. 6. Stromatum, asserit Apostolū Pau-

Paulum gentiles ad Sibyllarum leſitationem admonuiſſe. SS. Patres verò, *Iuſtinus, Auguſt. &c.* citant eas percrebrò. Et *Erythraa* canit in Vaticano, cuius initiales literæ reddunt has voces, *IESVS Christus Dei Filius: Saluator, Crux.* quod iſtis concluditur:

Vnus & aternus Deus; hic Seruator, & Idem CHRISTVS; pro nobis paſſus: Quem carmina ſignant.

III. VISIONVM & MIRACVLO-
RVM diuina testimonia ſuper Æqualitate Conſubſtantiali, ſeu ὁμοουſία recitat per illuſtria Illuſtriſſ. Card. Bellarm. lib. 1. de *Chriſto cap. 12.* Quibus in præſens ſuperſedebit ſtudium breuitatis.

IV. D. THOMAS p. 1. q. 42 a. 1. Neceſſe eſt ponere Æqualitatem in Perſonis. Quia, lib. 9. *Metaph. textu 15. 16. 17.* æquale dicitur quaſi per negationem maioris & minoris; non autem poſſumus in Diuinis ponere maius & minus. Quia, ait Boëtius lib. de Trin. *Eos differentia, ſcilicet Deitatis, comitatur, qui vel augent, vel minuunt: ut Arius: qui gradibus numerorum, Trinitatem variantes diſtrahunt, atq; in pluralitatem deducunt.*

Ratio eſt: Quia Inæqualium non poteſt eſſe vna Quantitas numero: Quãtitas autem in Diuinis non eſt aliud, quã Effentia: Vnde ſi eſſet inæqualitas in Perſonis diuinis, non eſſet in eis Vna Effentia: & ſic eſſent tres Perſonæ Vnus Deus; quod eſt impoſſibile. Oportet igitur Æqualitatem ponere in Diuinis.

Vnde S. Auguſt. lib. de fide. c. 1. to. 3. *Æqualitas intelligitur in Patre, Filio, & Spiritu S. in quantum nullus horum aut præcedit aternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate. &c. Plura in mea Genealogia quaſt. 5.*

QVÆSTIO XIII.

Qualia ſit facta Chriſto Atributorum DEI Communicatio?

LUTHERVS in Conc. de Nat. Dom. *Duo CHRISTI ſunt: Vnus Chriſtus eſt DEVS Omnipotens: Alter Chriſtus eſt Homo non Omnipotens.* Quocirca, duos habet filios Deus Lutero. 1. Brentius, pag. 115. Recognitionis ſuæ, patri ſuo Lutero adſilit audacter; *Diſcrimen, inquit, inter Chriſtum & alios homines non proprie Inhabitatione Filij Dei in Filio hominis; ſed Communicatione Proprietatum, quibus Filius hominis ab inhabitante Filio Dei ornatur.*

CALVINVS lib. contra Gentilem pag. 917. *Si Effentiam Pater Communicauit, cum Filio, vel ex ſolido communicauit, vel ex parte: Si ex parte, dimidius Deus eſt: Si ex ſolido, in ipſo Patre Euauit.* Rurſus ibid. *Si Patris Effentia eſt in Filio; erit etiam in eo Perſona Patris.*

AVTOR Euax; quàm argutæ conſequentiæ? Eas nec Carneades helleboro purgatus refellat; nedum prænſus. Vide, & Ride *Camelum ſalsansem.*

Atar: 1. Acclamat ei anonymus Caluiniſta quidam apud ſeuardentium in Dialogo: *Incommunicabilis eſt effentia diuina.* 2. Aduolant Caluino ſuo ſuffragatores Samofateni noui, Blandrara *Diſput. 6. Albana, Tranſyluani Miniſtri lib. 2. Cap. 7.* Et hæteſiarcha eorum Neſtorius, apud Theodoretum lib. 4. *hæteſiſ fabul.* Quorum iſta aſſertio pauxillò mitior: *Chriſto homini communicatam à Deo Diuinitatem eſſe; non per generationem aternam, ſed per Vnctionem gratiæ & Inhabitationem: Ac proinde, Poſſe Chriſtum dici Deum; ſed Deum Factum, Temporalem, Non aternum.*

Addo his Bezam. Caſtallio probauerat ex d. cto prophetiæ, *Egone parere faciam, & non propriam? Omnes homines eſſe creaturis Dei.* Quid Beza? Lib. contra Caſtallionem: *Disco, ait, è contrario: Deum, ex quo Adamus peccauit, deſiſſe Patrem eſſe in Adamo generis humani.* Vide *Schlüſſelburgium, lib. 1. Theol. Scholaſtica fol. 3.*

AUTOR. Qui igitur esse Pater Christi negatur; ut qui suam ei communicare essentiam nequierit; is jam etiam negatur esse non Pater.

Calvinus Inst. l. 1. c. 13. §. vlt. *Scilicet fingitur in Patre continuus actus generandi.* Sed plura de communicatione Attributorum *infra* quest. 24. 25.

AUTOR. I. Nimirum liberalior Caluino videri voluit Lutherus; hinc enim duos; ille nec vnum quidem DEO Filium sat concedit. An, quia, *Dum vitant stulti; vitia in contraria currunt?*

2. Certe ad Brentij verba exclamat Beza in respon. ad Colloq. Mompelgart *Ecce tibi Duos ex Nestorio FILIOS!* scil. v. nus Deus inhabitans Christum hominem; alter, Homo inhabitatus.

3. Caluino autem nec Christi Pater fuit vnquam Deus *vel ex solido, vel ex parte:* sed duntaxat *Proprietate quadam sunt distincti.* Vidè supra quest. 7. Ideò Nestoriani in hoc sunt Luthero-caluiniani: contra istud Symboli Athanasiani, *Genitus, non factus, consubstantialis Patri, per quem omnia facta sunt:* Non igitur factus est; sed genitus, ab æterno ex Patre; in tempore ex Matre *θεοτοκῆ*, non solum *χριστοτόκῆ*. Sed distinctius singula, & strictim.

4. Cùm Diuo Thomæ 1. quest. 27. a. 2. Processio Verbi in Diuinis dicatur Generatio, juxta Psal. 2. *Ego hodie genui te, Filius meus es tu.* Cùm etiam Christus testetur, Ioan. 7. *Ego ex Deo processi:* distinguenda est processio illa siue generatio, ex D. Th. 1. quest. 27. a. 1. *Arrius* accepit processionem sicut effectus procedit à causa; & sic Filium ait procedere à Patre generatum, sicut primam eius creaturam. Et ita Filius non est verus

Deus. *Sabellius* accepit eam, sicut causa procedit in effectum, quatenus aut mouet ipsum, aut suam ipsi imprimi similitudinem. Et sic Christum dixit, Filium Dei quatenus è Virgine Carnem assumpsit.

Errant autem ambo: Quia acceperunt processionem *ad Extra* solū, quatenus procedit secundum actionem in materiam exteriorem: At processio *ad Intra*, quæ manet in ipso agente, oportuit eos attendisse; quale est *Intelligere Dei:* quod est Concipere mente aliquid, & ex eius notitia procedere; diciturque *Verbum mensis:* quod in æterno Deo fuit ab æterno: Et hæc fuit generatio Filij.

Est itaque, ait August. l. 4. de Trin. c. 10. *Pater Principium totius Deitatis:* Sed & Ioann. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud. &c.* Et tamen Pla. 2. *Ipse inuocabit me,* quæ homo; *Pater meus es tu,* scilicet ab æterno prius; dein & in tempore *Plura D. Thom. 1. q. 33.*

Neque tamen infitias eo, priuatis istis quorundam opinionibus impiis omissis, communem hodie Luthero-caluinistarum sententiam concedere in nostram Orthodoxam. Sicut & in sequentibus variant.

QVÆSTIO XIV.

An Deus sit Omnipotens?

LUTHERVS in conc. de Nat. Dom. *Duo Christi sunt: Vnus Christus, Deus Omnipotens; alter Christus Homo non Omnipotens.* Idem tom. 2. Wittenb. fol. 183. & in Colloq. mensalibus, fol. 97. 98. 99. *Non credo Omnipotentem Diuinitatem esse Immortalem.* Vide in mea Genealogia quest. 9.

II CALVINVS Inst. l. 4. c. 17. §. 3. clarè subinnuit istud: *Deus nil potest efficere aut supra, aut contra ordinem à se in Natura constitutum.*

2. Idem

2. Idem Inst. l. 3. c. 22. §. 3. *Potentia Dei Absoluta communium est; sicut profanum, ita merito detestabile.*

3. Theod. Beza, Heshusio teste, lib. contra Caluinum & Beza, credens Deum Patrem Semipotentem, ait, *Quia impossibile est illi facta infecta reddere.*

Idem Beza isthoc Dei Attributum nunquam in eam fidei Confessionem; quam in Conuentu Possiaci obtulit, licet identidem editam; voluit inferere. Alubi autem easdem, quas Plinius Atheus affert, diuinæ Omnipotentiae exceptiones depromit. Consule *Posseninum contra Chytraum, & Atheismo* s. §. 4.

Idem Beza lib. contra Heshusium ait: *Nec credenda est, nec vniuersaliter recipienda i' a propositio Gabrielis Angeli: Non est impossibile apud Deum omne Verbum.*

4. Idem lib. aduersus Brentium: *Deus non potest efficere, ut corp. u. humanum sine suis dimensionibus unquam existat: Non potest quantitates suis destituere effectibus naturalibus, quominus certa occupent & impleant loca.*

5. Carolstadius in dialogo de Cæna. *Tam verum est Corpus Christi simul in multis locis esse posse essentialiter; quam verum est, S. Annam habuisse quinque capita; aut innocentem infantem habuisse barbam duodecim cubitos prolixam.*

6. BRENTIVS, apud Andreae in fideli Luthero cap. 1. Ego & Iacob Schmidlinus cum Vbiquitariis credimus, *Duos esse Deos. Seniore qui ab aeterno fuit ac permanet: Iunior vero esse Humanam Christi naturam, communi ac dotatam Diuinis Attributis, sicque in Deum coronatam & exaltatam.*

AUTOR. 1. Si talia de Deo; quando minus Omnipotentiam attribuent Christo? Sed presè agam ex *D. Th. p. 1. q. 25. a. 1.* Cùm Deus sit purus Actus, simpliciter & vniuersaliter perfectus; ideoque omnium sit principium actiuum, & non passiuum; relinquitur, quòd in

Deo sit actiua Potentia summa; eaque, ait *Hilar. l. 8. de Trin. infinita.*

Sub eam tamen, art. 4. *ibid.* non cadunt, quæ contradictionem includunt: Vnde non potest facere de corrupta non corruptam; præterita, vt sint non præterita &c. Hinc August. l. 26. contra Faust. c. 5. *Qui dicit: Si Deus Omnipotens est, faciat vt, quæ facta sunt, facta non fuerint; is non videt hoc se dicere: Si Deus Omnip. est, faciat vt ea, quæ vera sunt, eo ipso quòd vera sunt, falsa sint.* Arist. 6. Eth. c. 2. *Hoc solo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt.* Cætera, Gen. 17. *Ego Dominus omnipotens.* c. 18. *Ego Deus omnip. Cresce. &c.*

FILIVS DEI autem est Patri æqualis in Omnipotentia. Quia ait *D. Th. 1. q. 41. a. 6.* in Diuinis non differt Esse, & Possè: Ideo cum Essentiæ ac naturæ perfectione Deus generans Genito dedit quoque Omnipotentiam perfectionem. Art. 5. ita ratiocinatur. *Sicut Deus potest generare Filium, ita & vult: Sed voluntas generandi significat Essentiam: Ergo & Potentia generandi.*

Vera igitur vox Christi, Matth. 19. *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt: Vide D. Tho. p. 3. quest. 9. 10. 11. 12.*

Quòd demèntius blasphematur CALVINVS Inst. lib. 1. c. 13. §. vlt. *Stultè fingitur in Patre continuus Actus generandi.* De Creatore autem, quòd is non amplius sit Deus, LUTHERANI Accidentarij, vt Heshusius, Schmidelinus, &c. id impingunt Lutheranis Substantiariis, vt Flacco Illyr. Amsdoisio. &c. Vide *Olenbergium causa 17.*

AUTOR. At, Apocal. 1. *Qui venturus est Omnipotens.* Et Matth. vlt. *Mihi data est omnis potestas in caelo & in terra.* Omnino consule *S. Th. p. 3. q. 15.*

D 3 Quæ

QVÆSTIO XV.

An Deus sit iustus.

LUTHERVS ad marginem cap. 3. ad Rom. Deus est iniustus: nam imprimis impossibilis precipit. Deinde Idem lib. de Seruo arbit. Nec in damnandis, nec in saluandis merita spectat: Spargit gratiam & misericordiam in indignos, iram & seueritatem in immeros: Indignos coronat: indignos punit: sine meritis saluat: sine meritis damnat. Vide infra quæst. 17. 32.

ZWINGLIVS lib. de p. ouidentia cap. 6. Deus est iniustus: Punit ob peccata homines, qua non eorum magis sunt actus, quam Agricole sunt proventus. Idem to. 1. in explicatione art. 20. Non magis, quam mallei opus vomer, quem conflat faber. CALVINVS quam Deo tribuat iustitiam, liquebit infra, ubi Deum scelerum constituit autorem.

AVTOR. Ex Psal. 10. tenemus: Iustus Dominus, & iustitiam dilexit. Sed rectè distinguit D. Th. 1. q. 21. a. 1. Iustitia Commutatiua non cadit in Deum: Quia Rom. 2. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Distributiua verò propria Dei est Gubernantis. Vnde S. Dionys. de diuin. nom. lib. 8. Oportet videre in hoc veram Dei esse iustitiam, quod omnibus tribuit propria. Ideo 2. Mach. 1. Solus es bonus Rex, solus prestans, solus iustus, & æternus.

QVÆSTIO XVI.

Deus & Christus an sint immortales & impassibiles?

LUTHERANI: Vt. Selneccerus in confutatione accusationis, fol. 129 Theodoretus illa phrasis: Christus in quantum Deus, impossibilis est: nunquam ferenda est. 2. Gerlachius in disput. contra Buseum: Vera sunt hæc propositiones: Diuinitas est nata, Crucifixæ, Mortuæ. 3. Schmidlinus in thesi 136. & in repetit: Wittenberg. Pati, & Mori nomine & re pertinet ad Diuinitatem. 4. LUTHERVS lib. de conciliis par. 2. Nestorani sunt, qui Diuinitatem Patris non potuisse pertinaciter disputant: Ego & mori.

Gerlachius contra Buseum assignat rationem. Quia Proprias sibi vnâ cum natura humana participatione, affectiones eius facit suas Verbi natura & maiestas. 5. Aslebius & Andr. Mulculus in refut. Simleri: Si solana-

tura humana Christi passa sit, Filius imprimis ab opère Redemtionis flagitiosa impietate separatur. 6. LUTHERVS. in confess. de cena Dom. Christus: visibilis, nec magni preii Saluator est: immò ipse quoque alio Saluatore opus habet: subaudi, si in diuinitate passus ac mortuus non fuerit. Plus nimio satis ista.

CALVINVS Instit. lib. 1. c. 17. §. 2. Deitas est mortalis: immò verò aliquando mortua est. Fuit enim sacerdos noui fœderis Christus, etiam secundum Dsuinam naturam. Vnde Iacellus ipsius lib. contra Hardingum art. 14. & 17. Christus humanâ naturâ immolatus fuit diuinâ, sacrificicus exiitit. Plura vide supra cap. 9. 2. Calvinus ad Hebr. 9. v. 12. Per proprium Sanguinem introsuit in Sancta: Quia in fœdere nouo ad perfectam sacrificij rationem mors sacrificantis pertinet. 3. Item ibid. v. 14. Quia Fuit etiam Noui testamenti Mediator secundum Diuinitatem: Ideo autem Noui Test. Mediator est, vt morte intercedente redimat prauaricationes. Quæ quidem, vt de Humanitate Christi verè: ita blasphemè dicuntur omnia de Diuinitate. Vide plura quæst. 21.

III. AVTOR. ex Cnoglero cultissimo in Trisymbolo. 1. Fuit olim imbutus eodem errore Anastasius Imperator: de quo lepida proditur historia apud Zonaram in Anastasio 10. 3. Miserat hic Episcopos duos suæ sectæ ad quædam Orientis Dynastiam, qui eū erroris sui de Mortalitate Dei impleverent. Is audiit eos humaniter: responsum in diem reiecit alterū. Interim subornat famulum, qui sibi cum Episcopis colloquēti, nescio quid, tacitè in aurē insurrexerit. Facit ille ex præscripto; cum subitò frontem dimittere Princeps, & suspirare, & magnam præ se ferre mœstitiā. Percunctantur Episcopi vehementer istam tam subitū doloris causam. Cū Princeps: Nunciatum, inquit, est mihi, obuisse mortem Gabrielem Archangelum. Episcopi in risum soluti, bono animo esse iubent, & multis ar-

tis argumentis ostendunt, *Mori non posse Angelos.* Commotior ille statim: *Et vos inquit, qua fronte persuadere vultis, Diuinitatem in Christo passam fuisse, & mortuam?*

2. ZWINGLIUS tom. 2. in respons. ad Lutheri Confess. laboriosè hanc Coapostoli sui vesaniam confutat; seu, vt ipse vocat. *summam, & omnium longè stultissimam blasphemiam.* Inter cætera, Lutheri suo quasi ex diametro oppositus, liberè vniuerso mundo testatur dicens: *Contrà, ego de me illud liberè dico: Si Christus Deus quoque iuxta Deitatem passibilis est; Deus certè non est; nec hunc pro Deo meo unquam sum agniturus.*

3. Frustra vociferaris Zwingli; Tantum abest, vt Lutherani hunc sibi Mortalem Deum eripi patiantur; vt etiam in Pandora sua Bergenst. id est, Concordiæ libro, eundem quater millenis subscriptionibus roboratum, omnibus credendum proposuerint. Belli Antichristiani, quin & Athei, sine Deo viuo! Hæc Lutheranis dixerim.

Eadem & Calvinianis; queis addo suum Patriarcham Petrum Gnaffæum autorem Theopaschitarum, dicentium, *Vnus ex Trinitate passus est secundum humanitatem:* apud Baron. annis 482. 519. 535.

QVÆSTIO XVII.

An Deus sit Bonus? an verò Peccator?

LUTHERVS lb. de seruo arbitrio: Phil. Melanchthon in Rom. c. 2. *Deus autor fuit Proditionis Iudæ, adulterii Davidis, sanctiæ Manlii.* 2. Idem in assert. art. 2. *Dubium non est, quin Sathanâ Magistro in Ecclesiam venirit hoc nomen: Liberum arbitrium; scilicet à Deo solo conditum, inditumque nobis.* 3. Lutherus, Tom. 1. Wittemb. fol. 161. b. *Christum fuit summus peccatorum, quos unquam terra tulit.* Causam incidit Tom. 4. Wit. fol. 363. b. *Nimirum quia*

non sine causa, neque de nihilo ab Ioanne baptizatus est. 4. Idem in assert. art. 36. tom. 2. Wittemb. anni 1551. *Nulli est in manu sua positum cogitare quippiam boni vel mali; sed Omnia sub Deo sunt; contra quem nihil possumus, nisi quantum permittit & facit ipse.* Quod & poeta voluit cum dixit: *Certâ stans omnia lege.* Quomodo potest sese homo ad bonum preparare; cum nec in potestate sua habeat vias suas malis facere? Nam & MALA OPERA IN IMPIIS REGIT DEVS, scilicet, ut Autor scelerum omnium. Prò!

AUTOR. Ibidem Lutherus hunc articulum omnium optimum, & rei Christianæ summam constituit: *In cæteris, inquit, articulis de Papatu, de Conciliis, &c. magis ferenda est leuitas & stultitia Papæ & suorum: Sed in hoc articulo, qui omnium optimus est, & rerum nostrarum summus, dolendum ac flendum est, miseros sic insanire.*

1. Atqui Manes idem docuit olim teste S. August. heresi 46. & Hieron. in prologo dialogi contra Pelagianos.

2. Iactitant Lutherani de suo Magistro, quod Velleius de Epicuro suo; *Eum primum superstitionibus liberaffe Germanos.* Sed, quod Cotta Pontifex respondit Velleio; *Superstitione quidem facile fuit Epicuro (dixerim Lutheri) liberare; cum sustulerit omnem vim naturamque Deorum.* Sanè namque ait Tertull. *Qui Deum esse Bonum diffidentur; Deum esse nunquam fatentur.* Vide infra quæst. 31. 32.

CALVINIANA istis pauca subiiciam consona.

CALVINVS Instit. l. c. 18. §. 3. *Deus autor est omnium eorum, quæ Papista otiose tantum volunt eius permisso contingere: scilicet peccatorum.* Sic enim Zwinglius exponit in serm. de prouidentia cap. 5. *Numen ipsum, ait, autor est eius, quæ nobis est iniustitia.*

2. Calvinus ibid. §. 1. Confirmat exemplo: *Dei ita opus est incaustus Absolonis.* Addit Melanchthon in Rom. 8. & proditione Iudæ: *vt Pauli conuersio.*

2. Zwin-

2. ZWINGLIUS *ibid.* Deo impulsore latro occidit: Deo motore perpetrantur homicidia & adulteria.

3. Bucerus in Rom. 1. amplius dicit: *Qui non credunt, Deum omnia tam mala, quam bona in hominibus perficere; NEGANT DEVM PENITVS. CALVINO sunt homines bardi, vertiginosi, prodigiose caci, ac desperati.*

Idē Inst. 2. c. 4. §. 2. Est enim Deus causa particularis peccati, à qua sola omnis peccati & peccatoris ratio ducitur. Et verò Apparet Dei Specialis Actio in vnoquoque facinore.

5. *Idem Inst. 1. c. 18. §. 2. Dicitur Sathan excacare infidelium mentes; Sed unde hoc, nisi quia à DEO MANAT EFFICACIA ERRORIS?*

6. Quin, Beza Aphorismo 22. in responso. ad Castallionem: *Deus creat homines ad eum finem, vs. qua CONSTITVIT ipse ab æterno MALA; per illos agat.*

7. Zwinglius cap. 6. de prouid. *An coactus est homo ad peccandum? Permitto coactum esse.*

Beza in respond ad Castal. *At non poterunt resistere Dei voluntati? Fateor.*

CALVINVS *Inst. l. 3. cap. 22. §. 4. 6. 7. 8. Voluntate Dei, qua rerum est necessitas, cecidit Adamus, defecerunt Angeli. &c. plura talia quæst. sequente.*

AUTOR. I. Nubem Atheismorum eiusmodi adducere liceret ex Beza, Martyre, VVitakero. Sed vel hæc pauca cerebri inuersionem parere possunt viro bono. Consule Cardin. *Bell. lib. 2. de amiss. grat. cap. 3. Calvino. turcismum l. 3. c. 17. & 23. Stapletonum de iustific. lib. 11. c. 4. 5. 6.*

2. Hic verò tam foedus fuit Atheismus, vt ipsi etiam Calviniani ad eum naufragarint.

3. Certè Castallio, Calvino domesticus, Deum hunc Calvinianum mirificè exagitat, *in lib. ad Calvium de prouid. denia.*

4. Bullingerus & ipse Calvinista, *Decade 3. sermo 10. cum execratione detestatur id ipsum.*

5. Senatus Bernensis magnarū etiā poenarum seueritate eum à Deū sua ditione arcet: Patet è *litteris Bernensium ad Ministros anno 1555. scriptis, apud Claudium Sanctesium in respons. ad Apolog. Bezae.*

6. Fouerunt hoc ouum multi olim hæretici: vt Simon Magus, teste Lirinēsi in *Commonit. aduersus profanas vocum nouitates: Cerdonistæ, teste Tertull. lib. de praescript. Marcionistæ, apud Irenæum lib. 1. aduersus heres. c. 29. Manichæi, teste August. heresi 49. Priscillianistæ, teste S. Leone epist. ad Turbium. Seluciani, apud August. heres. 59.*

Nemo tamen horum omnium illud ita manifeste excludere ausus fuit. Quid tandem? Peperit vipera, & rupta est.

Primus Florinus hydrum hunc per abortum eiecit: Nutrijt post eū Zwinglius: Ad justam magnitudinem & robur prouexit Caludinus. Florinum ob hoc plus, quam hæreticum Irenæus dixit: Calvium & Zwinglium quos dicemus nos? Hucusque *Quir. Cnoglerus.*

Porro D. Thomas 1. q. 6. de Deo Bono, Angelico digna Doctore. Proprium Deo est esse bonum: iuxta Thren. 3. *Bonus est Dominus sperantibus in eum; anima quærenti illum. Vide S. Dionys. lib. de diuin. nom. cap. 4. par. 1. Bonus dicitur Deus, sicut ex quo omnia subsistunt. Ideo S. August. l. 4. de Trin. cap. 2. Trinitas diuinarum Personarum est summum Bonum, quod purgatis mensuris cernitur.*

QUEST.

QVÆSTIO XVIII.

An Lutherocaluinista sine Theomastiges
Mysotheia.

PLVS nimio id quidem enarrata ha-
ctenus, eorumque similia porro re-
censenda, testantur. Mihi tamen id hîc
quoque pauculis consignandum esse
videtur. Neque verò nescio; quod
sapius iam monui; communem hodie
Theologiam Lutherocaluinianam ab
eisdem nonnullis abhorrere.

CALVINVS lib. contra Nebulonem, resp.
ad proposit. 7. DEVM SIMVLATOREM
facit. Quia, ait, *Vult fieri, qua fieri non vult,
& fieri vetat.*

AUTOR. Nequirit hoc tam subtile
pronunciatum capere Castallio: que-
stusque est. Quid ei Calvinus? *Scelte-
scere oportet, ait, & proprio sensu exinaniri.*
Papæ, quam benè! Nisana mente exi-
nariare, Calvinianæ vefaniæ nunquam
intumesces typhone.

Idem Inst. l. 1. c. 17. § 2. *Deus vult pecca-
tum voluntate absconditâ; non voluntate in ver-
bo patefactâ.* Ecce D um Sycophanticum
Caluinistarum! Potrò. *Vult filios Heli patri
immorigeros esse; vult eosdem & rebelles esse.*
Ibidem cap. 18. § 3. *Alius qui docet, cauil-
lum non in Calvinum, sed in Sp. Sanctum in-
torquet.*

II. TYRANNVS est DEVS Caluini
Symmystæ Zwinglio, serm. de prouid. c. 6.
Quia Dominantium more pronunciat & defi-
nit: *Misericordiam impartior, ait, pro meo placi-
to; non pro implorantium meritis, aut ciulantiũ
misericordia.*

AUTOR. Puto, ad hoc exemplum
Dei Zwingliani, conformasse se Nero-
nem, Caligulam, Domitium, Decium,
Syllam: qui, vt ostenderent, quam libe-
ro in suorum vitas fortunasque Domi-
nato potirentur; plurimos militares

Præfectos subito interemerunt, & ob-
securos terræ filios in eorum locum ex-
tulere. Ita Sylla, teste Appiano lib. primo,
in bello ciuili quatuor legiones, in Câ-
po Martio, eius misericordiam implo-
rantes, è vestigio mandauit obruncari.

III. DEVS à DIABOLO num
quid differt?

Heshusius, apud Schlüsselburgium lib. 1. c. 6.
clamat, CALVINISTAS transformare Deũ
in Diabolum.

An verè; ex his collige.

I. CALVINVS contra Libertinos in In-
struct. cap. 14. *Qui Deum, ait, faciunt scele-
rum & flagitiorum autorem; Deum transfor-
mant in Diabolum.*

AUTOR. I. AT cui id canit? Nonne
sibi? 2 Caluini vox est ipsa, l. lib. de æ-
ter. Prædest. pag. 1005. & 1007. *Idem
vult Deus & diabolus.* 3. Sic diabolum,
& in diabolo Deum Caluini definit cor-
pus doctrinæ, & Examen ordinandorũ,
cap. de definitionibus appellationum,
*Nihil est aliud diabolus, quam Persona ex-
ercens spiritualem scuitiam in genus huma-
nam, impellens alios ad alia scelera: Sicut
quæstione præcedente retulit ac censuit
Caluinus de Deo peccatorum autore.*
Vide supra quæst. 6.

IV. DEVS an PEIOR DIABOLO?

CALVINVS. Ita equidem ex
præmissis vt statuat, adigi videor.

Nam diabolus adferre peccandi ne-
cessitatem haud vlli valet: *Deus autem
impellit.* Vnde, Inst. l. 1. cap. 18. §. 4.
*Homo, iusto Dei impulsu agit, quod ei non li-
cet.* Impellit, ibid. §. 2. *reprobos in ob-
sequium.*

Idem in responso ad Nebulonis ca-
lumnias de æter. Prædest. passim: *Deus
summa est causa peccati, & præcipua: Inst. 2.*

E cap. 4.

cap. 4. §. 2. *Vnde homines efficaciam erroris ducunt: Inst. 1. c. 13. §. 2. Est precipuus Autor. Ibid. c. 17. §. 3. Armat diabolus in nos. Ibid. c. 18. §. 2. Demon tantum minister est Dei. Ibid. §. 5. Et instrumentum: Ibid. §. 2. Eius impulsu suas partes agit; Idem lib. de æt. Prædest. pag. 1001. Eius mandato imposturis suis reprobos illaqueat.*

AUTOR. Satin' hæc sapiunt aut proposito testando sufficiunt?

V. DE VS AN OTIOSVS SIT, IGNAVVS, aut Epicureus?

CALVINVS in Actor. 22. *Qui sentiunt homini liberum arbitrium esse relictum; Deum fingunt in caelis sedere otiosum. Beza lib. aduersus Sycophant. calum. Si est in Deo tantum simplex peccatorum permissio, non est Deus Omnipotens; Sed Deus Epicuri, otiosus, ignavus, improuidus.*

AUTOR. AT in Deo est simplex permissio: Ergo. Prô!

VI. DEVS AN SIT LIBERI ARBITRII?

BEZA in Confess. Geneuensi. cap. 3. art. 6. & c. 4. art. 20. *Deus non est liberi arbitrii in operibus, quæ ad res creatas pertinent: Nec liberum: Et illi semel nobis datam fidem & gratiam tollere: Nec inferni cruciatibus addictum liberare: Neque beatum æternis suppliciis distorquere.*

AUTOR. Verè Heshusius; teste Beza lib. contra Sycoph. calum. *Caluinista nunquam magis extollunt Dei potentiam, quam cum eam volunt euertere. Sed acclamat eis natura in ethnicis: Nā Plato ait, dialogo secundo de repub. seu Iusto: Omnibus modis pugnandum est, ne Deus dicatur esse malorum causa. Nec, qui iustis legibus victurus est, verba hæc dicat in sua ciuitate; Nec alium loquentem audiat. Est enim probitatis & vitæ communis,*

& legum, & ciuitatum extrema corruptio. Plutarchus similia aduersus Stoicos: Infinitis, ait, partibus tolerabilis est, imbecillitatem Deo tribuere; (quod facit Epicurus) quàm nullam esse libidinem, nullum scelus, quod non ei Autori imputandum sit. Ut imputat Calvinus, eiusque Syri ac Dauis Beza, VVittakerus. &c.

Sed vide age, quanto Caluinista sint Barbaris ethnicis infeliciores. Calchutani victimas diabolo faciunt: Sed eò, vt debitam cuique pro benè, malèue gestis mercedem remetiatur. At Caluinista ne hoc quidem Deo suo permittunt; vt quem Innocentes punire asserant. Immane! Tartari, ait, *Ortelius in Theatro*, stellas colunt; *Ægyptij* coluere feles, ibides. &c. *Malleum prægrandem Lithuani*, teste *Guagino de Lithuania*: *Americani* farinam humano sanguine temperatam, teste *Correio in orbe nouo, narrat. 2.* Stultissimè: quis negat? Ad ideo tamen omnes; quia sibi quid Boni ab iis, ob cultum, pollebantur. Soli Caluinista colunt **DEVM** talem, qui solus immeritos ad tartara amandat: meritos orcum mactat beatitate. Hactenus de vnitate Dei: Porrò de Personarum Distinctione disceptemus. Sed prius de vocibus.

Q V Æ S T I O X I X.

An de Diuinis sint tolerabiles vocum termini?

VT diuinum, ita celeberrimum est Opus S. Dionysij de Diuinis Nominib⁹: Sunt & Ecclesiæ vsitata de Diuinis Vocabula quædam seu termini, quos distinctè definiteque nouisse interest. Et vtro sunt ista: *Essentia, Homousia, Hypostasis,*

Stasis, Substantia, Persona, Proprietas, Relatio, Notio, Circumincepsio, Trinitas. De his quid Sectarij?

LUTHERANI iuxta & CALVINISTÆ quam fastidiosè voces *Trinitas, Persona, &c.* aspernentur, quamque ferant ægrè; docuimus supra q. 6. & 7. Res verò ipsas Diuinas, vocibus designatas, quam infandè blasphemè utriusque, quam profanè doceant, sacrilegèque tractent; quæstiones 7. 9. 10. 11. 12. 13. &c. aperuerunt.

1. Fateor, & laudo; Lutherani æquè ac Calviniani illarum sunt patientiores vocum in suo sensu, in vsu frequentiores, temperantiores in vellicatione insectatoria, in earum aspernatione religiosiores: quicquid de rei significatæ veritate senserint, sentiantue.

2. Transyluani autem, Hungaricique Ministri, noui Samosatani ac Ariani dictos vocabulorum terminos acrius insectantur, manifestèq; proscribunt: Rem ipsam blasphemant.

3. Lutherocaluinistæ quid? Cum Romanodoxis Catholicis Nominum seruant vsu communem quidem; at sensum de Rebus Diuinis ipsis diuersum, planèque auersum à nobis multi: sibi autem vel proprium, vel, ut plurimum, communem cum Transyluanis, id est, Arianis Samosatensis, Nestorianis, &c.

SVADENT. istis. 1. Ex 1. Tim. 5. *Vocum Nouitates denita.* Ed, quodd hisce minus conuincantur hæretici, qui vix vel Scripturis sat constringuntur. 2. Exemplum Patrum in nouatione vocum est per se pererroneum. Ergo amplectendum? 3. *Stultum est loqui voce noua, ut nil dicas,* ait Aug. 4. Nomina illa de diuinis sunt peregrina & obscura. 5. Nec vel Synonyma ipsarum vocum reperiuntur in S. Scriptura. Sunt igitur deuitandæ.

AUTOR. I. RESPON. AD I. Cogitur Ecclesia ob hæreses nouas noua nomina adinuenire, quibus & illæ damnentur, & Orthodoxi ab heterodoxis discernantur. Aug. autem *Tract. 97. in*

Iob, ostendit *vocum nouitates* vitandas esse; sed *profanas*: & nō ipsa nomina noua, quæ nouas contra hæreses sunt inuenta?

AD II. Errarint aliqui in aliquibus; at omnes simul in villo nunquam errarunt. Cum igitur vocum harum vsus sit communis; sequendi sunt potiores.

AD III. Cū ait S. Aug. l. 4. *Trin. c. 9. dici tres Personas in Deo, non ut dicatur; sed ut non taceatur;* indicabat, nullo nomen humanæ linguæ sat explicare, quid tria illa sint in Diuinis; tamen dici *Personas*, ne muti simus.

AD IV. Per totam recepta Ecclesiam tot retrò sæculis, exotica dici, nefas.

AD V. At inueniri, testimoniis docendum est, simul hæreses detegendæ. Atque istud nunc agamus.

AUT II. Consuetam iam diu de Diuinis vocabula sunt perutilia, i. Ad Oppugnationem hæreticorum, exemplo & autoritate S. Patrum: Ne scilicet nihil dicamus. 2. Ad explicationem Mysteriorum Scripturæ, ut in quibus eæ voces sunt Reipsa, etsi minus de vocabulo. Liquet id eundo per singulas. Nam

ESSENTIA DEI & COESSENTIA, seu *ἁρτία, & ὁμοῦσία.*

LUTHERVS, supra quæst. II. *Anima mea odit HOMOVSION.*

Atqui & Ariani oderant; amabant *ὁμοῦσιον, aut συνῦσιον.*

Similiter & Lutherocaluiniani. Tum quia non est in Scripturis: Tum quia nouum. Sic apertè, Transyluani.

AUTOR. I. Epiphani. hæresi 73. *Essentia nomen nudo modo in Veteri & Nouo Test. non habetur; sensus autem & significatio ubique habetur. Ut Rom. I. Sempiterna quoque Virtus eius & Diuinitas. Phil. 2. Forma Dei 2. Pet. I. Diuina consortes Na-*

E 2 *tura,*

tura, id est, essentia. S. Cyrillus l. 1. de *Trin.* derivat vere *ἑσσία* ex c. 3. Exo. *Ego sū ὁ ὢν qui sum.* ab *ἄν* autem *ἑσσία* est. Aug. *tract.* 97. in Ioan. 10. *Ego & Pater Vnum sumus*: hic sensum vocis Essentia & *ἁμοσσία* ait contineri. Ambr. l. 3. de *fide* c. 7. ait similibus vti vocibus Scripturam: *ut Luc. 6. τὸν ἄρτον ἡμῶν ἐπιτίθεισιν, Deut. 16. λαὸν περιέσειον.*

2. DE NOVITATE & Ariani querantur olim: sed iniuriā. Nam & iam tum vox antiqua fuit S. Dionysio visitata, Origeni, Synodis Arimini & Selucia. Quò mendaciores sunt Transylvani, id in Nicæno natum ac novatum coepisse asserentes, *lib. 1. cap. 3.*

NOTA. VOX VNA *ἁμοσσία* tres iugulavit hæsiarchas 1. Sabellium, dicentem: Pater & Filius eandem habent essentiam; sed vnus non est ab alio. 2. Arium dicentem: Filius est à Patre; sed non habet eandem essentiam. 3. Samosatenum eam corporaliter intelligentem: quò significet duas substantias; sed eiusdem speciei: velut Petrus & Paulus sunt eiusdem speciei homines. Itaque *ἁμοσσία* denotat tria: Vnitatem essentia, contra Arium; & Distinctionem personarum, contra Sabellium: & differentiam numericam, non specificam, contra Samosatenum.

II. HYPOSTASIS est essentia existens in se, non in alio. Vnde Essentia est communicabilis; hypostasis non. Nam quod est in se, non est in alio: Additque essentia modum & proprietatem. Vnde vno in Deo tres sunt hypostases, seu existendi proprietates. Hebr. 1. *Qui cum sit splendor glorie & figura ὁμοσάσιος.* Et si hypostasis significet variè in

scriptura; nunc substantiam, nunc Essentiam. Transylvani pertendunt solam significare essentiam. Malè.

III. PERSONA theologice significat substantiam intelligentis naturæ: grammaticis etiam denotat qualitatem personæ.

IV. PROPRIETATES sunt Paternitas, Filatio, PROCESSIO. Hæc, quatenus distinguunt personas, dicuntur NOTIONES.

V. CIRCUMINCESSIO est intima vni⁹ personæ in alia inhabitatio mutua.

VI. TRINITAS solum personas signat; non enim est Trium vnitas.

QUESTIO XX.

Qualem in Diuinis Distinctionem agnoscunt Luthero-caluinista?

LECTOREM hic moneo, recolat Luthera & Caluiniana pronūciata; quæ superius *quest.* 7. 9. 11. 12. in medium attulimus; conseratque cum Transylvanis, *quest.* 8. Intelliget manifestè, à plerisque *solum Patrem appellari Deum verum: At Filium, Virtutem, Energiam; Tres gradibus distingui. His tres esse Deos subordinatos; istis Vnum, sed tres Proprietates alijs aliud videri: Adeo, vt negent trium in Essentia Vnitatem, Aequalitatem, Consubstantialitatem.* &c. Utq; Distinctionem inferant alij realem in Essentia & æqualem; gradualement alij; alij in hypostasibus distinctionem fingant rationis solius: Quaternitatem alij inducere videantur; fingere alij Christum Deum temporalem: Coniunctionem alij accidentalem in Christo: Bipersonalem alij: Alij Humanitatis deificatæ Ubiquitatem: ab alijs alia monstris monstra pariuntur; vt Satan nulla in re magis varius ludat, quā

in Vna Summa ac immutabili Diuinitate, Christique Humanitate. Noshic solum de distinctione in Deo.

I. LUTHERO-CALVINIANI, quidam initio; at nunc vix pauculi: potissimum verò & Transyluani. cum Samosatensis distinctionem negant Personalem.

AUTOR. AT Negarunt olim & hæresiarchæ Hermogenes, Praxeas, Noëtus, Sabellius, teste Augustino *lib. 1. de heres. c. 41.* Paulus Samos. & Photinus apud Hilar. *lib. de Synodi.*

II. Iisdem se Tritheitas esse reipsa placuit.

AUTOR. AT Placuit prius olim, apud Niceph. *l. 18. hist. c. 48.* Philopono hæresiarchæ sub annum 535. Gallo, sub annum 1090. teste S. Antelmo *lib. de Incarn.* 2. Placuit Ioachimo Abbati, sub annu 1590. 3. Raym. Lullo. sub annu 1290. 4. Demum Val. Gentili: Tres aternos esse spiritus, seu mentes, essentiali numero differentes.

III. Eisdem visum, tres esse inæquales.

AUTOR. AT ita visum prius Ario, sub annum 324. apud Theodoretum *l. 4. hæret. fabul. Epiph. hæresi 69.* Visum & Gentili, *Vnum esse Essentialiorem, Essentialiorem duos, imperfectos.*

IV. Rufus iisdem, (cum Ario.) tria distincta agnoscunt; re tamen ipsa non agnoscunt intimam distinctionem sic, ut una tribus in se Essentia Unde ridet voces prædictas quasi. 19 dicuntque in Deo Personam esse phantasticam & diabolicam: ita GENTILIS.

V. Transyluani, à Patre Christum distinguunt eo, quod Christum purum asserant hominem, & ante Incarnationem in Deo distinctionem agnoscant nullam. Patet eorum *l. 2. c. 4.* Vbi addunt, *Cū in Veteri Test. legitur de Verbo, de Spiritu S.; tunc intelligi potentias seu virtutes eius, nil ab eo distinctas: prædictaque ridet nomina:*

AT caodit Lutherus cum suis: sepul-

taque vult Calvinus.

VI. CALVINVS ait, *Dei Filius non est purus Actus; sed Compositum quid, & ex diuersis tanquam partibus coagmentatum: Quarū una est à semetipsa, altera à Patre: Vna genita, altera ingenita: Essentiam à seipso habet, Personā à Patre: Quatenus Filius, est à Patre: quatenus Deus, ex seipso.* Ita *Inst. l. 1. c. 13. §. 23.* & in explic. perfid. Gentilis, pag. 916. 919. & passim ad nauseam.

AUTOR. AT quis, nisi Choræbus aliquis, dixerit: Dauid est pater Salomonis, quā persona est, non qua homo? Parum hoc impio: en amplius.

CALVINVS *Harm. in Ioh. c. 1.* Christus ab aeterno non fuit: *Tūm fuit, cum Deus à populo suo invocari nomine Patris coeptus est.* Nec verò putes, id temerè sibi excidere calamo passum; aded triumphat in hoc: *Mibi, inquit, vnum hoc argumentum, ad confirmandam de Filij Dei aternitate conscientiam, instar mille semper erit. Putes Batti Sylphiū inuenisse; ita in verbis magnificus est ampullator.*

AUTOR. AT similjter sub Apostolorum tempora docuerunt Ebion & Cerinthus, teste Irenæo *lib. 1. c. 25. & 26.* & Paul. Samosatenus ac Photinus, teste Aug. *heresi 44. 45.* Sic & Seruetus, quem Calvinus exussit, *lib. 3. Trin. pag. 92.* Sic & Ministri Hungarici *lib. 2. c. 3.*

BEZA *lib. de hypost. vnione in Christo* ait: *Due personales sunt Vniones in Christo: Vna inter corpus & animam: altera inter Diuinitatem & Humanitatem.* Vide q. 22. infr.

Verum Doctrinā nos Orthodoxam stabiliam? cum symb. Athan. *Trinitatem in Vnitate veneramur.* I. Demonstratio. Qui accipit Esse ab alio, necessariò reipsa distinguitur ab eodem: Quippe fieri nequit, ut quis producat à seipso: Sed Filius accipit Esse à Patre, Sp. Sanctus ab utroque: Ergo realiter inuicem distin-

E 3 guuntur.

guuntur. *Rursus*: In Deo nil potest fingi inhærens, seu non subsistens per se; quia in D E O nullum est accidēs, compositio nulla: Ergò hæc tria cum sint re distincta, sunt tria subsistentia, ac proinde hypostases tres. Hæc ratio de fide.

2. Testimonia en, quod Filius accepit Esse à Patre &c. Prou. 8. *Dominus possedit me*, id est, generando accepit me: hominem? Non: sed Deum de Deo: quia *cum eo eram cuncta componens*. Eccl. 24. *Sapientia primogenita ante omnem creaturam*. Col. I. *Primogenitus Dei, & imago eius*.

An æternus idem? Col. I. *in ipso & per ipsum condita sunt vniversa*. Heb. I. *Per quem fecit & sæcula*: Ergo æternus est. &c. Vide Bell. 1.2. de Christo c. 6.

De Sp. Sancto, Ioan. 15. *Cum venerit Paracletus, quem Ego Mittam vobis à Patre, spiritum Veritatis; qui à Patre Procedit*. Mitti, procedere, est distingui ab alio: Et tamen adhuc, Ioh. 15. *Ego sum in Patre, & Pater in me est*. &c.

I. CONRADI VORSTII Calvinistæ Atheismos ex ipsius lib. de Attributis refert, & refutat R. P. Becanus in Manuali lib. 3. ca. 1. *Deus non est actu simpliciter infinitus, neque essendo, neque operando*. ET. *Est quidē purus Actus, sed hoc non vetat, quin simul in sese sit finitus*. SVADET istis. Quia 1. Scriptura Deum non vocat infinitum. 2. Substantia Dei videretur ab Angelis. 3. Nulla materia, numerus, creatura est infinita: ergo nec Deus. 4. Potentia Dei non est infinita; cum ad Impossibilia se non extendat.

AVTOR. BECAN. AT. Pl. 144. *Magnitudinis eius non est finis*. Baruch. 3. *Non habet finem excelsus, immensus, & Ens habens omnem gradum perfectionis: Cuius Potentia dicitur solum re-*

spectu Possibilem; sicut scientia dicitur respectu scibilem. Ergo.

II. VORSTIUS. pag. 235. In Scripturis affirmatur, Deum in substantia in cælo habitare; in terra verò sua virtute & sapientia nobis adesse. 2. *Alij Calvinistæ dicunt*; Christum in terris verum fuisse Deum, non ratione substantiæ Deitatis; sed Personæ Verbi: quod huic, non illi, Humanitas immediatè fuerit iuncta. 3. *Alij dicunt*, Verum fuisse Deum in terris ratione substantiæ diuinæ; quod hæc manens in cælo potuerit efficere, vt Humanitas Christi in terra diuinitus subsisteret absque humana subsistentia. 4. *Alij dicunt*, Substantiam Dei ordinariè esse tantum in cælo: tamen Christo in terris degente fuit etiam in carne eius, & non alibi.

BECAN. DICIT AD I. I. Temerè Vorstius: Quia Ierem. 23. *Cælum & terram ego impleo*. Cypr. *Dei templum totus est mundus*. 2. Impiè: Quia si Deus solum in cælis; Ergo Christus in terris, non erat Deus. AD. II. Is error supponit Personam diuinam in terra posse existere sine Essentia diuina: at hæc duo sunt vnum quid simplicissimū ac inseparabilia. Vnde, Col. 2. *In Christo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*. AD. III. Si nec Deitas, nec Persona Dei inerat Christo in terris, ergo Deus non erat; quia nihil Dei inerat ei. Siq; Deus vellet nos ita sustentare, Dij esse pariter possemus. Neq; Christus fuisset filius Dei magis, quàm Sp. Sanctus; quia ea sustentatio fuisset opus Dei ad extra; sicque Christus fuisset tam Pater, & Spiritus S. quàm filius.

AD. IV. Ergo Deus substantialiter de loco in locum moueretur: Tunc degissent in terra Personæ tres; cum nequeant separari. Quomodo igitur, Mat. 18. *Angeli*

CORUM

eorum in caelis semper vident faciem Patris? Itaque secundum substantiam Deus est vbique in mundo; secundum hypostasim Filius Dei erat in Christo.

III. VORSTIUS pag. 207. In Deo Accidentia sunt ab ipsis Substantia longè diversa. Quia Decreta Dei sunt 1. Multa, 2. Libera, 3. Non sunt ab æterno: At substantia Dei est 1. Vnica, 2. Necessaria; 3. Ab æterno. Ergo Decreta Dei sunt Accidentia, non substantia.

AUTOR. AT substantia Dei est infinitè perfecta, vt in se ulterius perfici nequeat; excluditq; omnè defectū: at modo perficeretur in se, si reciperet Accidentia. 4. Quicquid Bonitatis est in creaturis, id omne inest Deo per modum simplicissimæ formæ: at in illis est aliquid perfectionis substantialis, & accidentalis: ergo totum inest Deo per simplicissimæ formæ modū incōpositum.

DICO AD. I. Decreta DEI non sunt multi actus Volūtatis; sed vnus simplex: & in Deo non sunt multa, sed omnia vnum: actus enim intelligendi & volendi in Deo sunt ipse Deus. Vnde *Esse, Possesse, Operari* nil differunt in Deo.

AD. II. Libera sunt quoad terminationem ad obiecta: at necessaria in se: Vt, Persona Verbi necessariò existit; at liberè terminatur ad Humanitatem.

AD. III. Deus non producit nouas in se actiones, vt nos & Angeli; quia non recipit accidentia perfectissimus: solum terminatio Dei ad obiecta dat denominationes; vt quæ in tempore facta sit & fiat. Neque in Deo causa libera necessariò præcedit suum effectum; cū actiones intellectus & voluntatis sint indiuisibiles, inque instanti producantur ab æterno; at terminantur ad obiecta in tempore.

IV. VORSTIUS pag. 226. *Vulgò putant, Eternitatem totam simul existere, & omnibus temporum differentiis coexistere: qua sententia falsa est.* Quia sequeretur præteritum, præsens, futurum simul coexistere respectu æternitatis. 2. Possesse Deum facere, vt præteritum non sit verè præteritum: vt annus orbis conditi primus esset hic præsens.

BE CAN. AT, Eternitas Dei est substantia Dei, ait Vorstius; hæc verò est tota simul & indiuisibilis; ergo & illa. Alioquin foret substantia mutabilis & corruptibilis: Partes autem temporis dum actu sunt, coexistunt æternitati.

QVÆSTIO XXI.

An Calviniani sint Autotheani?

AUTOR. I. Affirmat Genebrardus. *1. de Trin.* & suspicatur Fr. Stancaurum illius hæreseos autorem extitisse: quem subexcusat *Bel. l. 2. de Christo c. 19.*

Lindanus in 2. dialogo, Canisius in præfat. de Ioh. Bapt. Calvinum autorem eius faciunt. Ex errore hoc sequitur Aut Sabellianismus hic: *Filium non distinguere personaliter à Patre: Aut Manicheismus ille: Filium à Patre distinguere etiam natura, & non esse Dei Filium, sed aliud Principium.*

II. Negat Bellarminus, quoad sententiam, cum docuisse Autotheismum. I. Probat: quòd *Instit. 2. c. 13. §. 13.* fateatur, Vnam numero naturam esse in tribus distinctis personis. 2. Idem, *Instit. 1. c. 13. §. 19.* Filium asserit genitum à Patre. *Ibid §. 23.* Essentiam Patris Filio comunicatam. *Ibid §. 15.* Essentiam distinguit à Personis ratione solum, non realiter. 3. Idem Beza in *axiomatis de de Trinit.* Et Iosias Simlerus *epist. ad Po-*

lorn

lon. defendit Autufiam; Et sanè satis .
 4. Adde, Calvinus oppugnat Gentilem, iactantem Deum Patrem solum verum Deum habere à sese essentiam: at Filium & Spiritum S. habere productam à Patre, nec eos esse Autotheos. Sed hisce mox contraria proferemus realia profata ipsius & suorum.

III. Affirmat Bellarminus, quoad loquendi modum, Calvinum, negatà autufia, Christum autotheum docuisse. Inst. I. c. 13. §. 19. *Cum de Filio, sine Patris respectu simpliciter loquimur; benè & propriè filium à se esse asserimus. Ibid §. 23. Quomodo modo Creator, qui omnibus esse dat, non erit à seipso; sed aliunde Essentiam mutuabitur?* Idem contra Gentilem sæpè: Et in Symbolo durè dictum, ait: Deum de Deo. &c. IV. Ego cum sic reuera sensisse existimo. Id ita doceri videtur.

CALVINUS Inst. i. c. 13. §. 23. *Christus nisi Deus sit à se, sed à Patre, precaria eius erit Diuinitas, et ab alio mutuata. &c. Essentiam à seipso habet; Personam à Patre &c.* Piget adducere plura 2. Ita & Galli plerique, Calvinistæ, qui primitas Spiritus eius hauserunt. Vide Lauoiū in reple. lib. 2. c. 4. §. 8. 3. Beza lib. contra Heshul. *Dei Filius nullo modo ex Patris substantia genitus est.*

4. Ratio anonymi apud Feuardenrium dialogo. 1. *Incommunicabilis est essentia diuina. Quia Calvinus ait lib. contra Gentilem pag. 917. Si essentiam Pater communicauit cum Filio; vel ex solido communicauit, vel ex parte. Si ex parte, dimidius Deus est: Si ex solido, in ipso Patre euauit. Rursus: Si Patris essentia est in Filio; erit etiam Persona Patris.*

AUTOR. Ecce quam pugnaciter Calvinus re, mente, lingua, calamoque docuit Autotheum Christum. Deinde: quasi verò essentia eadem commu-

nis inferat & Personæ communicationem necessariò. Hypostasis enim proprietates est; ideoque incommunicabilis. Si enim communicaretur iam & Proprietates personalis esse desineret, & distinctio personarum cessaret: foretque vna Persona; sicut vna Essentia est: Qui est Iudaismus, & Sabellianismus.

Age; proprius contra Autotheanos: I. Hoc Caluini effatum, quòd negaret Gentilis, mortem huic attulit gloriant, apud Bell. in prafat. de Christo. Se primum esse martyrem suæ sectæ; ceteros Martyres pro Christi gloria mortuos; se mori primum pro eminentia Dei solius, Patris. Nam, dicebat ille: *Dei Filius à seipso non est, sed ab Essentiatore essentiat.* 2. In Synodo Lausanensi teste Petro Carolo Epistola ad Card. Lotharingia: Ministri nunquam à Caluino impetrare potuerunt, vt plane fateretur, Christum esse Deum ex Deo Patre. 3. Ob hanc vocem Carolus Molinæus, quamuis impius, teste Lanoio in reple. lib. 2. cap. 4. Calvinum principem Atheorum proclamauit. 4. Witakerus ad 6. rationem Campiani, alijque cum eo, Calvinum mordicus tuentur esse Autotheitiam. 5. Beza in prafat. libel. Athanas. & Cyrilli, errorem Magistri agnoscit, & leuiter acculat, temporizans: Nam contrarium supra. 6. Sed age sis: si signominiosum Christo, mutuari abs Patre naturam; cur honorificum censet eidem, sumere ab eo mutuatam Personam? 6. Caluini vox est: *Quomodo creator est Christus, si, qui omnibus esse dat, essentiam aliunde mutuabitur?* Ex Mahumetis vox est, Azoara 27. *DEUS substantia est necessariò existens; cui impossibile est, vt essentiam aliunde mutuetur.* At
 Chri-

Christus est Deus: Ergo Caluinus & Mahumet consentiunt consciscuntq; blasphemii. Ista philologicās: porro Theologicās.

II. SCRIPTURA Caluino contraria militat. Matth. II. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* &c. vide in *Antio christo* quæst. 7.

CONCILIA aduersantur Caluino: Nicænum, Sardicense, Constantinopol. Ephesinum. Quò intolerabilior superbia Caluini, nolentis dicere cum ijs *Deus de Deo Christus*: Sicut nec in Conc. Aquileiensi duo Ariani, licet ferè centies interrogati, respondere, *Deum de Deo Christum*, voluerunt: Nec in Syn. Laufenfi ex Caluino idem valuerunt extorquere Symmystæ.

3. Aduersantur ei S. PATRES S. Iustinus lib. de rectæ fidei Confess. *Pater innascibiliter habet essentiam; Filius nascibiliter.* Cætera in *Genealog.* quæst. 8.

SVADENT porro suum Autotheismum ferè istis 1. Patres dicunt Filium à seipso esse. *Aug. in Psal. 109. Cyril. lib. 7. Trin.* Patrem & Filium esse vnum principium. 2. Nisi Filius haberet à se Essentiam, foret precariò Deus, similis creaturis, quæ aliunde habent Esse. 3. Filius dicitur *IEHOVA*, sicut Pater: & *Iehoua* significat ipsum *ESSE*, fontemque Essendi, & Esse à seipso.

DICO AD I. Vnum Principium, sc. creaturarum. Alioquin *Aug. tract. 39. in Ioan.* ait: *Pater est principium sine principio: Filius principium de Principio.*

AD II. Hoc euincit contra Gentilem, qui ait, Essentiam esse Christo Creatam: At nil id contranos, qui Increatam & Communicatam Christo credimus.

AD III. Iehoua quidem significat i-

psum essendi fontem; nec idè est à seipso: sed fons de fonte, ait *Aug. l. 7. Trin. c. 2.* *Deus de Deo, lumen de lumine, Sapiencia de Sapiencia, essentia de essentia. Et tamen Pater & Filius vnus est Deus, vnum lumen, Sapiencia, veraque essentia.*

III. DE CHRISTI HUMANITATE.

QUESTIO XXII.

An in Christo sint dua Persona seu Vniões hypostatica?

LVTHERVUS in Conc. de Nat. Dom. Imperiti quidam Christum Hominem Omnipotentem faciunt. Vide supra quæst. 14. 20.

CALVINVS Inft. l. I. c. 13. §. 9. ait *duas in Christo Personas distinguit*: aut amphibologiæ vocabuli *Persona* iudit. Clarè Brentius & Beza: duas ponunt Personas. Vide *Geneal. par. quæst. 9. fusè.*

SVADENT istis ferè sophismatis Nestoriani antiquonoui. 1. *Ioan. 2. Soluite Templum hoc sc. Humanitatis meæ, domicilium Diuinitatis: et Templum, & habitator eius sunt duo.* 2. *Phil. 2. In similitudinem hominum factus, habitu inuenctus est homo: Vt Rex habitu rustico rusticus videtur, nō est.* 3. *Heb. 2. Christus est sine matre, sine genealogia: qua Deus: at qua Homo, non est. Ergo duo.* 4. *Vox DEVS* absolutè posita non significat Vnitum homini Deum, ergo *Mariæ Filius* non est Deus, sed Alius; qui clamat *Deus meus*, vt quid *Me dereliquisti?* 5. Anteriorem se nemo gignere potest: Deus anterior est *Maria*, ergo &c. 6. Filius debet esse *omnino* parentibus: *IESVS*, non est *Mariæ* filius quā Deus. Ergo.

AVTOR. I. At iste ipsissimus est Nestorianismus: refutatus in *Genealog. ibid.* 2. Deinde *Hebr. 1. Nouissimè locutus est nobis in Filio suo, Homine; per quem fecit &*

facta.